



1781
22
91.
IO. FRIDERICI GILDEMEISTERI

IVR. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDINARI

IN ACADEMIA TEVTOBVRGENSI

OBSERVATIONES


I V R I S

CVM INDICE

PRAELECTIONVM SVARVM

SEMESTRI HIEMALI

HABENDARVM.



TEVTOBVRGI AD RHENVM

STANNO VIDVAE BENTHONIANAE ACAD, TYPOGR.

MDCCLXXXL

IO. FRIDERICI GILDEMEISTERI

PER DOCT. ET PROFESS. PUBL. ORDINARIUM

IN ACADEMIA PAVLOVAE

OBSERVATIONES

I V R I S

ANNO MDCCCLXXXI

IN ACADEMIA PAVLOVAE

SEMPRE LIBERARI

PAVLOVAE

IN ACADEMIA PAVLOVAE

FRIDERICI AD REINUM

STANNO VIDUAR. PAVLOVAE ACADE. PAVLOVAE

MDCCCLXXXI



OBSERVATIONES
I V R I S.I. DE OBLIGATIONE EX CONSILIO, COM-
MENDATIONE ETC.

Quum Caius duo millia mutuo data repetere a Titio veller, id ne fieret, operam dedit amicus Titii, Seius, scripsitque ad Caium ita: Ego quum optime sciam, quae sint debitoris tui facultates, non dubito pro eo, ut cupis, fideiubere. Addidit, Titium amplius millia centum possidere. Sed postea Titio facultatibus lapsa Caius aduersus Seium egit, tum propter fideiussionem, tum quod idoneum dixerit eum, qui non esset. Prior causa, ut breuibus dicam, minime liquida fuit, quare Teutoburgenses reum absoluendum esse censuerunt, nisi forte meliorem probationem perficere Caius posset vellerque. Ad alterum vero quod attinet, vel hoc obligatus esse dicebatur Seius. Nobis non videbatur. Actione doli uti nequis, nisi alter callide laudauit debitorem tuum. *L. 7. §. 10. L. 8. L. 9. §. 1. D. de dolo malo.* Nec vlla obligatio est consilii non fraudulententi, ut docet *Ulpianus in L. 47. pr. D. de diu. regulis iur. Conf. Phil. Matthaei comm. in tit. D. de diu. reg. iur. ad h. L.* Doli vero suspicio in Seium haud cadebat: nam quum ipsius non interfuisset, Titium pecunia aliena diutius vti posse, si excipias amicitiae adfectum; credendum non est, eum decipere Caium voluisse, sed per errorem potius bonaque fide diuitem dixisse debitorem. Et, quo minus dubites, cogita, quam magnum periculum

culum Seius subierit; (quod non potuit non videre, quum ipse effer iuriconsultus:) fraude enim sua ipse irretitus fuisse, si creditor eum continuo accepisset fideiussorem: veri autem quam maxime simile erat, intercessionem solummodo per Titii negligentiam imperfectam mansisse. Praeter dolum quidem ex aliis quibusdam legibus obligamur, sed tantum si susceptum a nobis sit periculum, siue verbis, *L. 12. §. 13. D. mandati*, siue tacite, hoc est per rei naturam, veluti si mandauerim tibi, ut pecuniam alicui credas, quam, nisi mandassem, non credidisses. Huc pertinet §. 6. *I. de mandato*, quae potius ex ratione ab Imperatore ipso adiecta explicanda est, quam ex ea, quam falso adfert *Theophilus*. Nec enim aliquid obstat, quo minus consilium dans ut pecuniam colloces, addere possit, cui credas. Hoc nequaquam repugnat naturae consilii. Commendationem denique, nisi alia accedant, pro intercessione non esse, exploratum est. *L. 12. §. 12. D. mandati. Leyser sp. CLXXXI sequ.* Atque, ne hoc omittam, si epistolae verba inspicias, inuenies, Seium non scripsisse, committe pecuniam tuam amico meo absque fideiussore, soluendo enim est. Sed promisit, se fideiussurum, adiecitque causam, quare ad id tam sit paratus: noui enim facultates eius. Ac ipse confitebatur actor, se nihilominus hac de re fuisse sollicitum, nec absque fideiussore ei credere voluisse.

Neque obstat his, quae dixi, *Legis 4. §. 3. D. de fideiuss. et nomin.* auctoritas. Loquitur *Ulpianus* de eo, qui adfirmauit, ideneum aliquem esse tutorem; isque pro fideiussore habetur, etsi bona fide egerit. Moribus quidem nostris, forte Belgicis, aliud dicendum esse vult, *Voetius ad D. tit. laud. 2. 3.* Sed hoc auxilio opus mihi non est. Nam *Lex 4.* huc plane non pertinet. Quae enim de fideiussoribus tutorum et curatorum scripta sunt, ea non omnino in aliis quoque vera esse, nemo inficias iuerit.

II. DE EXPENSIS OB ACTA NEVTRIO ID PETENTE TRANSMISSA,

Actorum ad externos transmissio a iudice ex officio decreta vtriusque partis sumtu fit. Sic tradit *J. F. Ludouici*, (*Einleit. zum Civil Proceß Cap. 25. §. 4.*) idque nec displicere videtur viro generos. *J. H. C. de Selchow*. (*El. iur. germ. priv. §. 697.*) Et verum utique est, ab utroque dimidiam pecuniam suppeditandam esse: at vero postea, si adpareat, alterutrum temere litigasse, hic innocenti reddere partem illam debet. Sic itaque intelligi voluisse viros quo laudavi doctos, non dubito. Leges certe praecipunt, ut is, qui litem egit iniuriosus, omnes expensas restituat; nec est, cur singularis ratio esse dicatur earum, de quibus loquimur. Hinc si ex officio ad collegium iuridicum acta mittantur, communibus partium sumtibus id fieri debere, deinde vero victorem a victo partem suam repetiturum, recte ait *Dan. Peste- lius* (in *Diss. de expensis victorias*, §. 14.) quem, etsi imperii nostri leges, quas adfert, huc minime faciunt, nuper bis secutos esse iurisconsultos Teutoburgenses memini.

III. DE PROBATIONE REI CUM SOCIIS GESTAE,

Societate propter mercaturam inter plures inita, is, qui vni eorum credidit, si contendat, se credidisse omnibus, probare hoc debet, nisi vniuersalem esse societatem conseret. Probatio autem illa facillima esse solet. Seruatur scilicet inter mercatores, ut, dum societatem contrahunt, de formula aliqua solenni conueniat, qua vtantur in iis, quae ad commune negotium spectant; eaque ipsis dicitur firma siue signatura. (v. c. *Caius et Titius*: *Caius, Titius et Seius*: *Caius et Seii* heredes: *Heredes Caii*.) Hanc omnibus renuntiant, quibuscum illis aut est, aut esse incipit commercium. Fac ergo

ergo sociorum aliquem cum tertio egisse, literisque usum esse : si nomine societatis res gesta sit, plana erit aduersus socios res prolatis literis. Hac autem perfacili probatione si creditor non utatur, necesse est, ut maior contra eum sit praesumptio : quod imprimis in iis obseruandum est, ubi ob imperfectam aliam probationem aliasque ob causas ad iusiurandum necessarium descendimus,

III. AN PROPTER STVPRVM A TESTIMONIO DICENDO QVIS POSSIT REPELLI,

Alter testimonium denunciabat mulieri, quam audiendam esse negabat alter, quoniam adulterium commiserit, ut ipse partus ostenderet. Illa, quamuis adulterii non fuerit conuicta, confitebatur tamen, festuprum passam esse ante matrimonium. Arcenda vel ideo fuisse a testimonio ut infamis ex opinione nonnullorum magni nominis iureconsultorum, qui et ius Romanum vrgent et fori vsu idem obseruari perhibent, *Leyseri* (*Meditat. ad D. sp. 52. m. 2. 3.*) *Meisteri* (*princip. iuris criminalis §. 242. n. 1.*) aliorumque. Sed est quoque auctoritas aliorum celebrium virorum contraria existimantium : hi quidem usum fori sibi potius fauere autumant, (de quo videatur *Kressius in comment. ad C. C. C. A. 110. §. 1. n. 3.*) cui accedat, per videri absurdum, hominem caeteroqui bonum, propter delictum, quo nemini tamen fidem fregerit, a testium numero excludi : (Compara *Quistorpii Grundsätze des teutschen peinlichen Rechts, §. 363.*) certe diuisionem illam delictorum in publica et priuata, quae sit fundamentum iuris Romani circa hanc rem, apud nos esse nullam : (videatur *idem l. c. et §. 31.* et *ibid.* laudata peculiaris *dissertatio Car. Theoph. Graunii de superuacua delictorum diuisione in publica et priuata moribus nostris.*) Haec vero argumenta ne minimum quidem habere momentum, facile intelligi potest. Nihil enim perficitur auctoritatibus, nec vsus, ut ex dictis iureconsultorum sibi adeo contrariis perspicias, certus

et

et vniuersae Germaniae communis est. Lege vero certa, iureconsultorum non est, eam reprehendere et hac de re ab ea recedere. Tandem, si delicta, quod aiunt, hodie publica sint omnia; tantum abest, vt ius Romanum circa infamiam adhiberi nequeat, vt potius omnia delicta eam secum ferrent. Licet vero haec respondeam, nihil tamen nisi argumenta eorum, contra quos haec monui, impugno: ipsam rem amplexor. Notum enim est, stuprum simplex apud nos a iudiciis ecclesiasticis castigari, id quod ex reliquiis iuris canonici est. Stupri vero reos infamia non directo manet, sed opus est sententia; vnde sequitur, vt ab hac poena immunes sint, si iudici eorum non sit potestas eam inferendi. Ea vero iudicibus ecclesiasticis tribui nequit. Compara si lubet *G. Lud. Boehmeri diff. de querela inoffic. donat. fratrum §. 7.* (quae exstat in viri amplissimi *electis iuris civilis T. 1. p. 247.*) et quos ille laudat. Sic igitur respondit ordo iurisconsultorum Teutoburgensium A. MDCCLXXX. Ea vero in specie alia quoque praeter illam ratio fuit. Nam secundum *c. 54. X. de testibus* qui ob delictum famae iacturam fecit, testis esse potest ex quo ad meliorem vitam rediit. Mulier autem illa matrimonii honore decorata, quum ad testimonium dicendum exceptionibus saluis admissa esset, poenitentiam actam moresque emendatos praetenderat, quod is, qui, vt eam repelleret, tantis molitionibus curabat, post cognitae responsiones, ne verbo quidem negauerat.

V. DE OBLATIONE PROBATIONIS VICE
IURISVRANDI,

Viam ad probationem sibi muniturus interrogationes, quas positiones hodie adpellamus, facere voluit, ad quas responderet alter praestito iureiurando. Quod vt effugeret hic testibus contrarium se perficere velle reposuit. Sed id ei denegandum esse censuimus. Interrogandi enim ius prorsus non erat dubium, ideoque nec obligatio ad respondendum.
Neque

Neque illud: probationem in locum religionis suffici posse, spectat ad iusiurandum ab eo praestandum, qui ad interrogationes istas respondere debet; sed ad illud, quod litis finientis causa ab aduersario desertur. Et, si verum illud esset, loco iurisiurandi semper offerri probationem posse, obicere liceret, eam tamen offerri non posse loco responsionis ac confessionis. Interrogationes enim fieri possent sine iureiurando: ac proinde ex eo, quod de iureiurando verum est, non sunt aestimandae.

VI. DE CONSENSU DOMINI IN NVPTIIS COLONI ET HOMINIS PROPRII.

Colonom eundemque hominem domini sui proprium, matrimonium contrahere non posse, nisi consentiat dominus, eoque contracto huic ius esse, eum expellendi, regula fere communis in Germania est, et in terris Osnabrugensibus lege confirmata. Ita enim iubet *die Osnabrückische Eigenthumsordnung*, duobus locis, *Capite V. §. 7. et Capite XVIII. §. 10.* Sed usum utriusque negabant reae, filiae defuncti coloni, in lite sententiae scribendae causa Teutoburgensibus iureconsultis proposita. Constitutum nimirum esse dicebant **A. MDCCXXVIII.** d. 30. mensis Martii vt, donec lex noua aequo et bono magis congruens scripta fuerit, posthabeatur *Caput XVIII.* iudicesque aequitatem potius sequantur; et deinde concludebant, *Capitis V. §. septimam*, quae cum loco illo reprobati *Capitis XVIII.* conuenit, vna cum hoc abrogatam esse. Actor vero, is autem dominus erat, etsi prius concedere videbatur, posterius tamen pernegabat. Neque iniuria, vt ego quidem puto. *Capitis enim V.* locus iniquitatis, a nemine, nisi rerum prorsus imperito, aut simulante, argui potest: nec ipsum caput abdicare voluisse lex illa corrigens videtur, sed tantum ea quae iniqua
in

in eo sint. (*) Et quum omnes leges, quarum sensus aliquid dubii haber, secundum aequitatem debeant excipi, illa imprimis, quae studio clementiae scripta est, sic potius est intelligenda, ut ne iniqua foueat et tueatur. In ea autem, de qua loquor, specie manifesta erat §. septimae Capituli V. iustitia.

Sed his missis, quaeri potest, quid dicendum sit, si colonus colonaue domino futurum coniugem nominet; an domino semper integrum sit, eum reculare? Et hoc negandum, si homo frugi sit et domino utilis, sanus nimirum et omnino par villae administrandae. Optime haec exprimit lex Osna-brugensis: (*Eigentb. Ordn. C. IV. §. 12.*) *Will der Auevbe zur Ehe schreiten, so soll er oder sie eine solche Person darstellen, welche Gott fürchtet, und eines so guten Gerüchts ist, daß der Gutsherr dawider nichts mit Bestand einzuwenden habe, und das Erbe mit einem proportionirlichen Stücke Geldes, oder sonst, verbessern könne.* Quae verba oder sonst, demonstrant quoque, non vtiq; necesse esse, ut diues sit. Negato itaque consensu nihil impedit, quominus iudex imploratus dominum cogat; sicuti fieri solet quando parentes absque iusta causa liberorum nuptias prohibent. At ante sponsalia supplicare oportet domino: nam quum liberis neglecta parentum voluntate sponsalia coëuntibus, et tunc demum eos adeuntibus, hic ipse contemptus iusta contradicendi causa sit, docente I. Henr. Böhmeyro (in *iure eccles. protest. L. IV. tit. 2. §. 18.*) et egregio eius filio Georgio Ludovico (in *Diss. de necessario parentum consensu in nuptiis liberorum cum legitimorum tum legitimatorum*, §. 60. in *electis iur. civil. T. I. p. 720.*) sic dominus quoque ob laesam sui reuerentiam optimo iure repellat sero precantes. Et quamvis quod ad colonum colonamue hic non agatur

(*) Eam sic retulerant reae: Das XVIII. Cap. sey wegen seiner Härte suspendiret und allen Richtern des Hochstifts befohlen, die Billigkeit der Schärfe dieses XVIII. Cap. vorzuziehen, bis ein gedeiliches und anderweises verordnet werde.

agatur vis matrimonii, nec igitur eo usque procedat illa ad similitudo, ut nullum dici possit inuito domino contractum coniugium: (nullum enim secundum ius commune esse, si sine patris consensu inire conati sint, demonstrauit *G. L. Boebner* §. 63.) id tamen neglecto domini consensu efficitur, ut noui nupti non fruantur commodis, quae comitantur nuptias aduente domino celebratas, sed ut hic a praedio eos possit relegare.

VII. DE IUDICE, POST RECENSITA, UT ALIO MITTANTUR, ACTA, DE SYMTIBVS LITIS DECERNENTE.

Tametsi litis sumtus in genere restituere aduersario debet temerarius litigator, naturalis tamen ratio praecipit, ut excipiantur quos ille praeter necessitatem forte erogauit: idque etiam ius Romanum non obscure probat. *Lex* enim 13. §. 2. *C. de iudiciis* loquens de expensis singularem ob causam reo reddendis, eas nominat, quas hic legitime se expendisse iurauerit. Et in §. 6. *solitae* expensae litium nihil aliud denotare videntur, ac necessarias et iuri suo persequendo utiles. Hinc vero colligamus licet, alterutro expensarum nomine condemnato, tacite exclusa esse ea, quae extra modum nec re id exigente prodegit aduersarius. Huc pertinent sumtus, quos ob contumaciam suam ferre debet, velut, si in iudicio non adfuit, quamuis a iudice iussus, sicque occasionem dedit sumtibus, quibus superfederi potuisset. Super his autem cognitione vix opus est; et si sit, vsu tamen venit, ut extra iurisconsultorum collegia, ad quae iuris dicendi ergo mitti res solent, non decernant, nisi forte maior aliqua de illis orta sit controversia aut diserte eorum exigatur definitio: alias enim de sumtibus in vniuersum respondent, singulorum ordinationem ipsius iudicis relinquendo adcuratori ac diligentiae. Nequidquam igitur quendam succedere iudici vidimus, quum hic, omnibus praeparatis ad alleganda acta, alterius partis rogatu, de expensis huius generis

ris statisset. Aiebat ille, iudicem officio suo defunctum esse statim ab recensione actorum, quam vulgo inrotationem adpellant. Quod, licet verum sit, si spectes ipsam litem sumtusque vniuersos, huc tam propter ea quae dixi, nihil facit. Teutoburgenses certe iureconsulti sic responderunt A. MDCCLXXVIII. Nec *Meuio*, qui nobis aduersus esse videtur, reuera contradicimus. (Vid. eius *decis.* P. III. *Dec.* 63.)

VIII. DE SENSU EORVM QVAE IN PROTOCOLLO
SCRIPTA SVNT EXPLICANDO.

Actione aduersus aliquem instituta iudex protocollo teste reo cupienti dilationem dederat. Postea actor aiebat, reum spatio ad soluendum petito, confessam esse, se debere: hic vero, non nisi respondendi causa alium sibi diem dictum fuisse adfirmabat. Actore igitur volente, vt iudex interrogaret actuarium, quidnam re vera actum fuerit, quoniam protocollum quidem nihil habebat, nisi quod modo dixi; quaerebatur, an id fieri inuito reo possit? Id vero negauimus. Etenim aduersaria eodem modo interpretemur necesse est, ac alia scripta, hoc est, ita, vt cum primis vis verborum solita inspiciatur. Atqui illa: *Caius*, *Titius* petit dilationem, in singulis fere paginis occurrentia, nemo non intelligit de dilatione exceptionis, replicationis aliusue rei litis causa agenda. Sin vero, quod rarissime accidit, et vel ideo non praesumi debet, reus continuo cedat, petatque, vt sibi spatium aliquod ad soluendum detur, amplioribus id verbis exprimi, et actor confessionem discrete acceptare solet. Sic itaque sensus conscriptorum in dubium vocari non poterat, praesumptio autem, quae est pro tabulis publicis, non minuebatur ob narrationem actoris; neque erat, cur eidem potius crederetur quam reo, qui actuarium sibi dilationis petitionem suggestisse, quo euitaret poenam contumaciae, dicebat. Verum actuarium interrogari minime quoque e re fuisset. Si

pro reo respondisset, lis retardata fuisset, acta enim denuo ad iureconsultos mitti debuissent ad decernendum de reliquis probationibus ab actore iam adhibitis. Sed fac esse, actoris dicta confirmasse illum, nihil tamen effectum arbitror. Quum enim iure praesumantur vera esse, quae in aduersariis publicis leguntur, fides illis negare nequit, nisi responsio actuarii ad interrogationem itidem suspecta fiat. Neque expectandum est, ut homo, tot negotiis obrutus, tot quotidie audiens actionum formulas, quae sua nihil aut parum interest, ex memoria pro certo aliquid adfirmare possit: quod viderunt populi moratiores omnes quum instituerent, ut omnia quae in iudicio agantur statim literis, id est certis nec temporis fluxu interituris testibus mandari necesse sit. Id vero haud nego, ad interpretationem protocolli authenticam, hoc est ab ipso actuario factam, recurrendum esse, si alia ratione sensus scriptorum inueniri non possit.

VIII. DE LIBELLIS, QUI VOCANTUR INFORMATIONSSCHRIFTEN.

Inter ea, quibus non potest non irasci quisquis iustitiae diligens, etsi haud commotus ingenio, hoc summo iure reuteris, quod iudices plerique, circa officium suum aut parum attenti, aut eius ignari, omnia sibi a litigatoribus exhibita facillime, nec villo prope defectu adhibito, recipiunt adfiscuntque in feriem actorum. Inde tot inepta scripta rem paucis momentis constantem mirum in modum turbantia; inde tot verba vanissima; inde tot gignuntur negationes, probationes, protestationes, reservationes aliaeque quae enumerare vix licet: quibus omnibus in infinitum producuntur causae vel minimi pretii, sumtus litis litem saepius excedunt, defatigatur cui ad referendum traduntur acta. Nemo enim negotiis deditus illiteratus aliquod negotium habebit et molestius pertractatione assidua omnium chartarum, separatione inutilium ipsis vtilibus plerumque intextorum re-

naciis.

naciusque inhaerentium, et explanatione causae de industria quasi implicatae. Quod qui norunt demirari profecto non debent, multos leuiter percurrere acta, reprehendant vero necesse est rideantque stultam excusationem, se non latere loca ubi cardo rei sit. Sed ne ipse in verborum multitudine peccem quam aliis exprobro, feram illud, etsi quae non profint haud tamen nocere, minime arbitror: propiusque accedam ad rem. Quodsi ergo, quae aduersantur non solum legibus decori, utilis ac honesti; de disertis iurium praeceptis nihil dicam; verum etiam rationi ac summis et ab ipsa natura positis rei iudicariae fundamentis, debemus detestari; quis aequo animo ferat morem plerorumque iudicum, qui clausum post iudicium aut in ipso dum clauditur momento, literas adhuc recipiunt quae dicuntur informationis? Quasi si noui nihil haberent, sed rerum gestarum seriem breuibus tantum narrarent, illustrarentque quae in ipsis actis iam insint, possent quidem perinde ac alia, quorum usus nullus aut exiguus est, tolerari: quum vero in libellis istis plerumque aut adferant quae antea omnino non fuere proposita, aut, quod idem fere est, iam audita callide insectant patroni inque rem suam omnia dolo malo conuertant; iudicem haec scripta, ut olim de libello inepto dicere solebant, dentibus lacerare oporteret et prolicere ad pedes alterius. Nec iniuria sic fieret ei, qui iusto tempore proponere neglexit argumenta sua. Sin vero nunc den un reperit, quid obstat, quo minus conclusio ut differatur petat aut rescindatur? Equidem tacerem, si istorum, quae malleolos stolonesque non immerito dixeris, nulla ratio haberetur ab iis qui sententias praescribunt: sed non omnibus ea displicent, pars enim indulgentiores sunt, quod circa praua haudquaquam probandum; alii grato animo spuria illa scripta arripiunt, compendiarium viam ad rei cognitionem sibi datam esse gaudentes: quod quam sit malum, non attinet dicere. Omnia quae fiunt in iudicio alteram partem nosse debere, iustitia praecipit, idque nec vulgus ignorat. Quapropter ea, de quibus

quibus loquor, nihili facienda, vix legenda esse, hanc mihi scripti legem, siue potius scriptam veneror. Quumque in causa aliqua A. MDCCLXXVIII. dicta alter accipiendam esse informationem negasset, iudex contra testatus esset, ex more loci vtrique parti eius rei datam esse facultatem; ne hoc quidem a proposito deterruit iurisperitos Teutoburgenses, quoniam, etiam si ipsa res sine dubio fuisset, contra prohibentes tamen leges, contra antiquissima rationis edicta, quae vere diuina sunt, nulla est consuetudo,

Interea tamen fieri potest, vt serius venienti aliquid momenti detur. In causa aliqua anno quem dixi ad nos delata, pater literarum infcius crucis signum chirographo adiecerat, filius patris nomine subscripserat. Conuenitur ille; inter alia filium dolo malo ad id adductum esse narrat. Actor specialiter non negat nisi in scripto post auditam causam addito. Quod multas ob causas sufficere visum; nam reus idem scriptionem aliquam exhibuerat eiusdem generis, neque igitur in aduersario iniquum dicere potuit, quod in se iudicauerat aequum. Reliquas causas praetereo, sine vberiori litis explicatione actionisque genere non intelligendas,

Item ratio aliqua merito habetur eiusmodi libellorum si auctor eius in eis fateatur quod ipsi nocet. Nam non semper necesse est, vt acceptante aduersario confessioni vis aliqua accedat: idque solide, vt opinor, demonstrat *I. C. Quistorpius (Beiträge zur Erläuterung verschiedener mebrentbeils unentschiedener Rechtsmaterien. I. B. 3. St. 7. Abb.)* Secundo loco idem dixerim, si libello insit renunciatio pura iuris alicuius aut eius quod sibi competere litigans ille contenderat. Tum etiam, si idem, quae antea obscure dixerat, clarius explanet, et haec explicatio nec veritati contraria videatur, neque in suspensionem aliquam incurrat: suspensionem vero tunc prorsus abesse credendum est, si antea super verborum obscuriorum sensu disputatum nondum fuerit. Denique fieri quoque potest, vt libelli informationis ab auctore in vteriori instantia

instantia iterum exhibeantur, quibus res clarior fiat. Tunc enim cum aduersario communicantur meritoque inter acta numerari incipiunt. Et haec fere sunt, quibus iudicare possis, quando literarum informationis ratio habenda sit et quando non sit habenda.

X. DE UTILITATE LIBRORVM QVIBVS, MAXIME OPE
EXEMPLORVM, DOCERETVR QVOMODO IVDICES
CRIMINALES OFFICIO SVO PRVDENTER FVNGI
POSSINT.

Quamquam omnibus in causis late patet iudicis officium, multo tamen maius grauiusque est in criminibus, praesertim si, quod plerumque fit, ingratas actoris partes nemo velit suscipere. In his enim cuncta curare iudicem oportet, quae quouis modo facere possunt ad auctorem delicti exquirendum, ad inueniendum genus criminis, ad cognoscendum, utrum proposito sit admissum, an impetu, an vero casu; quae est *Marciani* diuisio in *L. 2. §. 2. D. de poenis*, porro ad metiendam culpam, denique ad poenam eligendam iusto et aequo optime conuenientem. Quae quum tam multa sint tamque ardua, eo minus mirari debemus, iudices, etsi viri boni sint rerumque periti, tam facile in his offendere. Operae vero pretium esset, a viris doctrina et experientia, quae hac in re maximi momenti est, praestantibus, ingenioque, sine quo utraque difficilius comparatur, non minimo praeditis, confici libros edique, quibus narrarent, qua ratione in maioribus aut memorabilibus muneris sui partibus officio suo functi sint. Qui libri si dotibus stili cultioris ornati, si ingenue sincereque conscripti essent, si ad res vel minutissimas, hae enim maximae saepe sunt, cum delectu tamen, descenderent; quid eorum lectione iucundus fuerit, quidue vtilius, vix scirem. De vtilitate enim vt pauca dicam, multum profecto conferrent ad formandum alendum et acuen-

dum

dum iudicis ingenium : exempla suppeditarent ad illustranda cum legislatorum, tum interpretum iuris criminalis praecepta, et ad demonstrandum horum praeceptorum vsum, quem homines pragmatici haud raro superbe negant, diligentium vero inertia libenter in dubium vocat; denique occasionem praebent ad examinandum veritatem eorum, quae a viris doctis proponuntur, et ad explorandum an expediat, leges novas scribi, veteres mutari aut tolli. Ea vero, quae sciri debent, memoriae facilius firmitusque infigi nequeunt, quam additis continuo exemplis, quibus, quum recordamur ea, doctrina olim percepta vna reuocatur, quae cito dilabi solet, si nuda summamque percipitur : hancque ob causam *Christianus Thomaeus*, antecessoris iuris officia exponens, praeclare ait, omnibus omnino artis legitimae studiosis pauciora ac exquisita praecepta esse proponenda, exempla vero quam plurima. Dafs man bey alien Zuhörern wenig und gute praecepta, und viel Exempel brauchen solle. (*Summarischer Entwurf derer Grundbren, die einem Studio iuris zu wissen und auf Universitäten zu lernen nöthig. Halle 1699. P. I. C. IIII. §. 28.*)

Quae dixi de fructu quaesitoribus ex istiusmodi libris capiendo, breuiter ea explicare liceat. Fieri nequit, vt omnia, quaecunque facienda sint, a legislatore praescribantur iudici, nisi in immensum augeatur legum multitudo, quae autem scire et ita memoria tenere, vt semper in promptu sint, nemo possit. Hoc igitur satis fere erit, iudicem monuisse, vt omnia faciat quae necessaria sint ad officium suum bene gerendum. Etsi enim praeter hoc addi quaedam solent, quae sequatur, vt legi isti principali satisfaciat, ea tamen aut ex natura rerum vtro cognoscuntur, aut instituta sunt ab ipso legum auctore. Haec vero salua iustitia non semper exsequi licet, sed integrum iudici esse debet, propter indubiam aequitatem reuue qualitatem ab eis discedere : aut certe, si lex clare id licere negat, recurrendum est ad legis auctoritatem, vt hoc casu eam seponi permittat. Non enim gladio prudens

prudens rerum arbiter nodum soluet in his causis perinde ac in ciuilibus, quippe quae tantae non sunt, et in quibus, vt iure quam certissimo vtamur, plus legibus daandum, minus contra iudicis arbitratui permittendum est. In criminalibus igitur inprimis necessaria est prudentia, qua et inueniantur et eligantur, quae vere recteque perducant ad propositum: tum vero praesentia quoque animi, vt, si celeriter quid fieri debeat, consilium non desit, aut si res improuisa accidat, praesertim quae viam intercludat, noua confestim decernatur. Quam ob rem facile perspicias, quanta sit huius iurisprudendiae partis cum artibus medici et paedagogi, vt has tantum nominem, similitudo. Vtraque cum primis experientia nititur. Alterius est sanos conseruare, et morbis laborantes ab eis liberare: alterius vero aetate minores ita formare, vt corpore et animo perfecti tandem sint homines. En igitur summas ac simplicissimas harum artium leges, a quibus nullo pacto recedendum est. At vero parum tamen iis efficeretur praescriptionibus, nisi specialia inuenta essent praecepta, quibus discitur, qua sit eundem, qua non. Haec autem ope rationis indagare, si quando id fieri potest, difficilijus tamen esse solet, certe longius: breuissime e contrario et abundanter docet experientia. Ita quoque factum est, vt immensum in modum creuerit ac efflorere coeperit vtraque ars, ex quo parce modestaeque ratiocinandum esse sapientes intellexerunt, ac potius obseruandum quae fiant, audiendum naturae vocem, experimentis vtendum, quibus, auctore *Quintiliano*, (*de I. O. L. l. c. 5.*) in omnibus fere minus valent praecepta, tandem quae sic cognita sint, literis mandant et ad posteros transferunt. Quos si imitaremur, cequis negauerit, eandem nostrae artis felicitatem fore?

Vt vero ab iis potissime artis salutaris peritis, qui ipsi medicinam faciunt, eadem ita augeri potest: sic etiam dixi, libros, quos desidero, a quaesitoribus conscribendos esse. Nam hi demum, aut potius hi tantum ostendere possunt, quibus maxime artibus verum, reo licet negante callideque

noctat

C

occul-

occultante, explorari queat. Nec enim haec et quae eius generis sunt in tabulas publicas referri solent, quare alii ea non facile cognoscunt. Sunt tamen nonnulla, quae obseruari ab aliis quoque possunt, velut a iureconsultis, quibus, vt de iure respondeant, acta forensia hinc et illinc conuecta per-
 lustranda sunt. Ea autem, quod vix attinet dicere, talia praecipue sunt, quae omisisse aliquid arguunt iudicem, quod omitti haud debebat. Cuius exemplum addere non abs re erit, vt, quid velim, clarius coniter, vtque intelligatur, quanti sit id, de quo, indocte licet, disserui. Volunt igitur, nisi fallor, iuris doctores omnes, vt, excepto aliquo recentis criminis causa, iudex eum mox ad se venire iubeat, et summam de ea re interroget: nimirum neei detur fingendi tempus. Ita enim *El. Pufendorfius* " simul, inquit, ac
 „ inquisiti copiam nactus iudex est, pauentem et ob delicti
 „ horrorem commissi animo adhuc consternatum generaliter
 „ statim et summarie examinare debet, ne interiecta
 „ mora mendacis se praeparet, mentemque pertinaciter
 „ obfirmet. Id quod maxime inculcant Henricus et Wilhelmus
 „ iunior Duces, in *ihrem Unterrichts* §. 4., (*Introduct. in proess. crim. Luneburg. C. XIII. §. 1.*) Egregie quidem: sed nonnunquam ob aliam quoque causam, eamque non minus vrgentem id esset vtilissimum: vt nempe certio-
 rem se reddat iudex de statu animi quo reus delictum modo patratum admiserit: qui quum non semper sit perpetuus, postea rem omnem dubiam efficere possit. Rusticus quidam, quum ducere quam amabat vetitus esset a parentibus, multas, vt hi quidem quaerebantur, domi turbas faciebat, ac nouercae pessima minatus erat. Quare dominus eius, erat enim iste proprius homo, tranquillum esse imperabat, nunciumque ideo ablegabat. Hunc ille excipiebat iniuriis atque conuiciis: quid? quod cultro ac tridente arrepto insequeretur abeuntem vt occideret. Id enim urbem percurrrens et in domo nuncii aperte professus est. Sed a militibus in custodiam includebatur. Altero die coram iudice ad cuncta fere
 respon-

respondebat, se nescire; fuisse enim et ebrium et furiosum et summopere perturbatum ob parentum seueritatem: iam vero iram se cum crapula adormiuisse, sed nihil se recordari hesternum facinus.

His nonnihil addam de praefecto aliquo (Amtmann) in terris Brunsvico-Luneburgicis inter rusticos ius dicente, cuius nomen quidem nescio, sed egregia de eo mihi narrare memini. Is non solum eximio pollebat ingenii acumine, sed in persequendis quoque facinorosis hominibus ita in officium suum incumberebat, ut odium merito diceretur omnium malorum. Nec enim tempori, nec operae, nec consiliis, nec adeo, quod rarum exemplo est, impensis parcebat; mittebat exploratores, qui per annos nonnunquam multos sequerentur vestigia fugientis, qui in suspicionem delicti grauioris inciderat, donec tandem eius deprehendendi daretur facultas. Is, ut ostendam, quantum in eo fuerit ingenium, reperto aliquo in silua peregrino, vi occiso, continuo cadaver incidi curauit, non tantum seruatis quae seruari solent, sed etiam sedulo scrutatus, num cibus proxime sumtus adhuc cognosci queat. In stomacho enim non quidem causam mortis quaesiuit, sed proditorem homicidae. Brassicam igitur conditam medici inuenerunt, nondum concoctam. Quam ita apertum esset, non multo ante cibum esse adsumtum; militi sciscitatum ad propiores aedes, didicitque duo aduenas aliqua in domo illo cibo usus esse et vna abiisse, alterum fuisse ipsum illum interentum. Certiorem igitur se reddidit de forma alterius, vestibus et reliquis. Quem ut adprehenderet, sine mora omnem nauauit operam; nec eam perdidit. Captus nempe post longum licet tempus homicida confessusque est nefandum scelus. Ne igitur aliquid contempnas, quasi exiguum sit: summi enim ingenii est, paruis ita uti posse, ut ad magnam rem perueniatur.

XI. DE COLONI HOMINISQUE PROPRII HEREDE PRAE-
 DIVM IVSTO TEMPORE NON CAPESSENTE, OBSER-
 VATIO IVRIS OSNABRVGENSIS.

Colonus eiusque vxor, proprii nobilis alicuius homines, mortui erant inter varias temporis bellique diuturni iniurias, habefacto praedio, quod in terris Osnabrugensibus situm est, filiabus, sed minoribus adhuc viginti quinque annis, relicto. Quarum quum nata maxima legitimam aetatem iniuisset, dominus praedium eam capessere iussit, tempusque ei ideo praefiniuit. Respondit mulier, si exister, qui ducere se velit, (nam absque marito ad villam adire non potest filia) se haud cunctaturam, immo, si placeat domino, se publice inuitaturam esse qui sibi coniungatur. Sed esse neminem: neque hoc sibi imputari posse, sed praedium, citra tuam parentumque suorum culpam collapsum, omnes deterrere. Re in iudicium deducta dominoque agente ad ius hereditarium puellis auferendum, eadem quae ante praetendebant illae, dicebantque lege permissum esse domino, heredem iure suo exuere, si, elapso post adeptam maiorem aetatem anno, dolo malo nondum in villam migrauerit, (Wann der Anerbe aus Bosheit und Betrug sich weigert, die Stärke anzutreten, *Osnabrückische Eigenthumsordnung, Cap. IV. §. 13.*) Quam legem, et si non addidisset dolo malo, odiosam tamen, ideoque interpretatione benigna mitigandam fore. Esse adeo aliam legem, quae in expulsionem hominum priorum aequitatem quam maxime commendet iudicibus neglecto iure stricto. Jurisconsultis Teutoburgensibus, quibus anno MDCCLXXXVIII, a iudicibus sententiae dictio erat permessa, videbatur secus. Nam primum, quid vere velit aequitas, et quatenus locus ei sit relinquendus perquam est ambiguum, eaque res nullo negotio in vtramque partem potest disputari. Praedia enim quum colonorum non sint, sed dominorum quibus hi parent, an, quae-
 ro,

20, aequum esset, dominum cogi, ut tamdiu rem suam co-
 lono videat esse destitutam? Coge igitur. Iam aut, com-
 modis nullis perceptis, onera publica ferre dominus; aut,
 ut damnum hoc auertat, ipse debet arare terram, admi-
 nistrare villam, arbores ferere et quae sunt reliqua; aut quot
 dies mercede conducere, qui hoc faciant; aut denique vil-
 lam totam vni alicui pluribusue per partes in tempus ali-
 quod locare. Omnia profecto dura! Id quidem quod po-
 stremo loco dixi, fieri posse donec maritum inuenerit, ai-
 bat rea, id enim dominio parum obesse. Verum enimvero
 mirum quantum interest, possessor vtrum perpetuo et he-
 reditario iure instructus sit, nec ne. Qui enim hoc iure caret,
 ille maiores sane non impendit sumtus, quorum fructum in
 alios redundaturum fore praevidet, auare arripit quaecumque
 potest anticipatque instantium annorum emolumenta. Non
 enim non percepta et laborum et impensarum suorum foe-
 nus aliis cedere ignorat; liberis suis nepotibusque nihil ea
 prodesse intelligit: alia taceam. Quae omnia aliter se habe-
 rent si insigni illo iure donatus esset. Deinde etsi qui mali-
 riose detrectat successionem iure suo excidit, non tamen con-
 tinuo sequitur, ut omnes alii salui sint. Quin potius videam-
 us rationem legis, quae haec est, ne dominus resque pu-
 blica damnum faciat: (§. 19.) hoc autem periculum non
 discutitur eo, quod heres ad praedium ideo non adeat, quia
 non possit. Eamque ob causam secundum *Cap. IV. §. 3.*
 heres coloni propter morbum fonticum recte reculatur, si
 nempe mancus sit et debilis. (Gebrechlichkeit und Läh-
 mung.) Cui non aduersatur §. 4. negans expellendum esse
 eum, qui, dum praedium tenet, paralyticus aut arthriticus
 fit. (Lahm oder gichtbrüchich) Addit enim lex: si modo
 quae debentur reipublicae ac domino praestentur omnia.
 (so lange die Pflichten dem Gutsherrn, auch die Lands-
 herrliche Ausgaben und Obliegenheiten richtig abgeführt
 werden) Haec quoque indicant, dominorum saluti nun-
 quam non esse prospiciendum. At nisi haec, quae dixi,
 addidif.

addidisset lex, certum tamen esset, eorum quae nunc interueniunt, longe aliam esse rationem ac eius quod antehac iam fuit: quod etiam in causis diuortii obtinet. Si autem colonus colonaue a primo non recipitur, nisi consortem omnium vitae habeat domino probatum, (id uero uult *C. IV. §. 18.*) non multum interesse uidetur mancum inter ac eum, cui, licet absque culpa sua, spes coniugis potiundi uix uilla superest. Tum etiam eius generis iura odiosa immerito dixeris. Denique accedit et hoc, rusticos hereditario iure in praediis aliorum ante gauisos esse nullo, quam id ipsis largiti sunt, fauentibus maxime principibus, domini: utrosque uero utilitatem sequutos esse, dominos suam, utrosque publicam. (Vid. *I. H. C. de Selchow elem. iuris Germanici pr. §. 362.*) Nec igitur domini id uelle potuerunt, quod summa iniuria eos adficeret. Ex quibus omnibus intelligi par est, nos recte secundum dominum sententiam dedisse: das die Imploratinn (Natu minor. Altera enim iuri suo aliquot annis ante, pendente lite, renunciauerat) ihres Anerbrechts - - hiermit ohne Vorbehalt für verlustig zu erklären, und dem Herrn Imploranten das Erbe zur anderweitigen Besetzung zu überlassen, auch die unbewilligten Gläubiger davon gänzlich abzuweisen seyn.

XII. DE PECORIBVS PIGNORIS CAUSSA ABLATIS, ET
QVID EA ABLATIO SIGNIFICET.

Dum potissime ex causis, decisionis ergo ad iurisconsultos Teutoburgenses missis, mihi quoque porro ad interpretandam horum sententiam demandatis, excerpo ea, quae maxime mihi memorabilia occurrunt; hoc nequam omnittendum existimaui, quod incolis uici Osnabrugensis, cui nomen est Battbergae, a Wulsterensibus obiciebatur. Agentibus illis, demonstrantibusque possessionem suam et inde adquisitum ius pascendi sues ac equos in agro Wulsterensium, hi reponabant, possessionem minime fuisse quietam, sed
lingu-

singulis annis se pecora actorum esse pigneratos, quod *schudden* s. *schutton* vocant, hoc est, includere: illos vero eadem semper praesenti pecunia liberare (*) oportuisse. Hoc quanti ponderis primo adfpectu videatur, nos tamen nullius esse respondimus A. MDCCLXXVIII.

Hoc inprimis fundamenti loco praemittendum est, inclusionis, quae plerumque eam vim habere solet, vt possessioni alterius resistatur, non semper vnam esse eandemque rationem. Sunt varia rei alicuius signa ac documenta, illius, de quo loquor, adfonia, quae tamen non semper idem prorsus indicant. Quod quum ab aliis non vni esse obseruatum, auctorem illustrationis gratia laudo *Moeserum*, qui

in

(*) Haec pecunia *Schuttgeld* vocatur. Differt ab ea *Krampgeld*, quod datur non nisi propter sues. Mos enim est, vt, ne terram fodiendo damnum dent, ori suum inimitatur fibula. Breuius hanc rem explicare non possum, quam verbis *Moeseri*, viri doctissimi. "An einigen Orten dürfen auch nach besondern Verordnungen die Schweine nicht anders als gekrampet auf die gemeine Weide kommen, und ist die Krampe ein Drat, der ihnen durch den Rüssel gezogen wird, und einen Schmerz erregt, wenn sie wühlen wollen. Es ist dieses vermuthlich ein sehr alter Gebrauch, weil die Römer sich dieser Krampe unter dem Nahmen Fibula, wiewohl, so viel man liefert, nicht bey den Schweinen, bedienen. „ (Vom Hüten der Schweine, in den Patriarchischen Phantasien, T. 3. p. 219.) Ei quoque, qui seruitutis iure in alieno fundo pascere porcos potest, quum fundo damnum fieri non liceat, incumbit, ei fibulam imponere, quod si neglexerit, alteri ius est, eos includendi donec redimantur. — Huc pertinet quoque quaestio XXXVIII. cum responsione im *Salzburgischen Landtzing* A. 1534. (sp. *Walchium* T. II. p. 177. *der Beyträge zum deutschen Rechts.*) "Ich frög dich auf den Ayd, wie man die Swein ringen und kämpfen soll, und zu was Zeit. *Urtaill.* Auf die frag sprich ich, zu der Zeit, und so der Schnee abgangen ist, im Launfing, (id est, vt antecedentia docent, vere, im Lenzen) so soll ein yeder sein Schwein, so sy andern Leuten auf Schaden geen wöchten, göngen und darpach, zu Sannd jörgen Tag, so Heg und Zein gemacht sind, sol er die Swein nach gewächst stereich unnd groß die schwein kämpfen &c.

in historia Osnabrugensi, (cuius utinam immortalis operis confectioni vacare posset vir praestantissimus!) Urkunde, inquit, ist bey den Bauren quaelibet recognitio, und hier der Freyen Schilling ein Bekenntniß der Anhörung. So beurkundet z. E. der Duff-Schilling, daß ein Bauer in der einen Mark wohne, und sein Duffholz in einer andern habe, worin er sonst kein Mark-Genosse ist. Plaggen- und Weide-Schillinge beurkunden, daß jemand das ius cespitandi et pascendi nicht iure condominii sondern iure seruitutis habe. Dergleichen Urkunden verdienten gesammelt und von Regierungswegen berichtigt zu werden, weil über ihren wahren Verstand viel Processi sind. „(allgem. Einleit. Edit. I. §. 48. not. f.) Sic ergo hac in specie inclusio pecoris signum esse potest, Battbergenses non iure domini, sed seruitutis fundo alieno uti. Et rem ita vere comparatam esse, multa efficiebant ut crederemus. Testes, probandae possessionis causa producti, professi erant, vulgarem ibi esse famam, eamque constantem et antiquissimam, Battbergensibus sine ullo dubio competere ius pascendi equos et fues in fundo vniuersitatis Wulfterensis. Addebant, se nunquam audiuisse, Battbergeres, redditus pecoribus capris, vetitos esse, ea denuo in agrum illum inigere. Atqui semper hoc fecerant, nec igitur inclusio contradictio esse videbatur. Porro, quod manifestum est, illi pignora tollendo certam aliquam sequuti erant normam, idque ius variis modis circumscriptum esse adparebat. Non enim adimi licuit pecora quotiescunque deprehensa essent, sed ab antiquo singulis annis vna tantum facta erat solennis et generalis inclusio, ipsumque pretium, quo redimenda essent ablata, certum fuerat et quasi definitum, idque minimum. Quare abactis pecoribus possessioni prorsus reclamatum esse verisimile non erat; sed illa res signum potius fuisse videtur iuris possessionem alteri non omnino negans. Denique, quo omnis dubitatio euanescat necesse est, Wulfterenses aduersariis dabant, se in generali et annua pignorum occupatione suos

suos quoque ipsorum equos et porcos eodem modo includere solere, nisi quod gratis reddantur. Quid ergo? Num sibi ipsi negassent ius pascendi in fundo suo? Id vero absurdum esset et plane ridiculum.

Quod superest, si quaeras, quaenam tandem sit vera huius rei ratio? me id nescire lubens fateor. Sed si coniecturam velis, accipe. Ex actis didici, et Battbergensium pecudes et Wulstereusiam libere esse vagatas. Hoc quum Wulstereusibus vix esse nequeat nocuum, his esset ius, abducendi equos suesque Battbergensium sine pastore oberantes. Quid igitur, si inter utrosque conuenerit olim, vt ne hoc faciant, sed iuris tamen sui conseruandi causa semel tantum in anno eodem vtantur? Quod autem ad Wulstereusenses attinet, singulis itidem vt non licuit agro vniuersitatis nisi pecuilibus pastori commissis. Iptos vero longe adhuc facilius in hanc legem descendere potuisse perspicuum est, vt, ne quis eorum sibi plus iuris esse, ac re vera esset, contendant aliquando, anniuersaria fieret porcorum equorumque absque magistro palantium simulata ademptio.

Haec scribendi occasionem mihi dedit, *commilitones lectissimi*, nouum, quod iam incipiet, studiorum nostrorum curriculum, in quo quae docere paratus sum, accipite. Memini quidem, in publico, qui iam prodit, recitationem in hac academia instituendarum indice me tot disciplinae nostrae partes promississe, vt sperare nequeam, cunctas a me petiurum in; ita vt temerarium videri possit, eas denuo hoc loco recenseri. Verum non eo animo id feci, vt omnes postulari vellem, sed vt amplior vobis esset eligendi potestas, vtque publice tester, me in his, quae muneris publici ratio, quo ornatus sum, exigit, diligentissimum esse.

D. G. *Publice*

Publice igitur explicabo institutiones iuris Romani metho-
do systematica adornatas ab *Hofackero*, sex, si ius publicum
cum privato, sin vero hoc tantum cupiatis, quinque diebus.
Tradam itaque ius Romanum Iustinianicum omne, certe
omnium prima elementa; purum, non immixtis quae ad
ius Quiritium non pertinent et rectius alio loco discuntur;
tandem secundum ordinem naturalem, in quo etsi non sem-
per liber ille omnino perfectus est, alius tamen inter eos, qui
ad vltum academicum comparati sunt, non est melior eo
et concinnior. Quantae enim cunq̄ue sint humanorum ope-
rum virtutes, nunquam tamen expectandum est, tam esse
absoluta, vt nihil superfit, quod vel iure desideretur.

Privatim docebo encyclopaediam et methodologiam iu-
ris ex *Puetteri* neuem Versuch. Ius naturae et gentium ex
Federi libro, qui philosophiae practicae ab eo conscriptae
partem constituit. Ius hodiernum Germaniae generale, et
quidem publicum secundum *Puetteri* institutiones, privatum
secundum principia *Selebouiana*. Porro et ius feudale, ad
G. L. Boebmeri librum, criminale ad *Kochimas* institutiones.
Ius priuatum, quo principes vtuntur, tradam praesente
Puettero. Actiones forenses tractabo duce *I. H. Boebmero*.
His quoque quibus *Heineccianae* institutiones iuris Roma-
ni placuerint, eas illustrabo, sed vtar editione cura *Hoespfe-
ri* emendata secunda. Denique enarrabo historiam imperii
Germanici ad nouissimum *Puetteri* librum, ita vt via munia-
tur his qui ad ius Germanicum, imprimis publicum progres-
suri sunt.

Praeter haec *privatissimas* quoque cuiuscunq̄ue generis in-
stitutiones cupientibus minime deero.

De horis nihil dico, sed earum eligendarum facultas pones
vos esto. Quare vos rogo, vt de eis inter vos statuatis, et
confidatis, me quantum potero, cuncta rata habiturum esse.
Valere meque amate. Scripsi in Acad. Cuiusmodi quae *Teu-
toburgi* est, d. XI. Octob. A. MDCCLXXXI.

✱✱✱

p. 22. l. 6. legendum *negari*, p. 14. l. 22. del. *aut*.




Duisburg, Diss., 1729/81(1)

ULB Halle

004 527 070

3







1781
22
71.
IO. FRIDERICI GILDEMEISTERI

IVR. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDINARIJ

IN ACADEMIA TEVTOBVRGENSI

OBSERVATIONES


I V R I S

CVM INDICE

PRAELECTIONVM SVARVM

SEMESTRI HIEMALI

HABENDARVM,



TEVTOBVRGI AD RHENVM

STANNO VIDVAE BENTHONIANAE ACAD. TYPOGR.

MDCCLXXXL

